



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,  
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Decas II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

7. Fatuus, dum silet, sapientem simulat; sapiens autem tacendo confirmat se esse. Lingua parca augurium est largæ mentis. Nihil periculosum minus, nec honorificum magis quàm temperantia linguæ; uti ex adverso nihil periculosum magis & honorificum minus ac verborum abundantia.

8. Noli confidere alteri, quod nondum certum est tibi. Si res potentem tangat aut prædivitem, quod in aurem murmuraveris, credito divulgandum per orbem universum. Assentator enim divinat de internis, & quasi jam factum judicat, quod vix cœpisti cogitare.

9. Proficue errat, qui bene loquitur de omnibus, neque cenferi potest adulatio (pestis humanæ conversationis) quando non potentes solum, sed & illos commendamus, quos fortuna despexerit.

10. Lingua bona hoc scœnore gaudet, ut de ipsa loquantur omnes bene, quæ de nullo novit loqui malè.

*DECAS II.*

11. Affectant aliqui prudentiam, irascendo singulis, & critizando, quæ alii probârunt,

rint,

rint. Parùm amiseris commendando, quod alter appetiat, & minùs periculi subis laudando res vaniculi, quàm ipsum vanum.

12. Intempestivè se arguit, qui præmatùrè studet placere. Lepidum quoque est, condemnare se, ubi nemo accusator est. Non quæsitus tace: cùm rogâris, tum primùm respondendum est. Accusationem si certam nosti, expedit dextre prævenire: dubiam aut nullam negligere; nè scilicet à se ipsa vires accipiat damno tuo.

13. Præstat injuriantem pati, quàm adulantem. Quis enim te majori injuriâ lædit, quàm qui fallit, & sano judicio privat? Utrisque aures obdurandæ sunt, adulantibus tibi, & calumniantibus alios.

14. Injurias à potentibus illatas accipe uti exemptas: neque enim adversùs illas conqueri potes, & si potes, non convenit. Pateat semper accessus, ut te ament, quibus indigueris.

15. Insipiens est illa Ratio Statùs, malù malo ideo refundendum esse, ut alii timeant idem experiri, qui idem perpetrârunt. Hoc est palliare vindictam specie præven-

præventionis: Et verò utro magis conciliabis amicos, metu, an benevolentia?

16. Periculosum est lædenti veniam differre, nè dicam, negare. Desperatio enim audaciam gignit, & qui in modico offendit, quasi semper hostis futurus colligit iram, roborátque se complicibus in ictum graviolem. Deposited semel ruborem aut respectú non facile restitueris.

17. Fallenti semel, qui se confiderit, non habet ubi damnum excuset: ipse sui mali author est. Verùm dissimulanda est diffidentia, nè fallentis malitiam acuas, novásque vires subministres vindicandi se jam in diffidentem, qui prius fefellerat confidentem.

18. Usus hominis bonum opus; usus linguæ, verba. At his fidem non obliges, nisi opus te convincat. Abstinent multi loqui malè, sed & negligunt operari bene. Divinanda est adulatio, & experimentis probanda, ac tum demum solvenda fides, cum operibus exigitur.

19. Potentem, aut in sublimi positum caveas offendere: loco illi exemptio debetur. Sed neque amicum ipsius: quin & hunc

hunc minùs. Plus enim irritatur animus ex injuria, quæ amico infertur, ac ex damno, quod irrogatur sibi. Ingenuus satisfacit sibi potentiâ vindicandi; at pro amico in ipsam vindictam accenditur. Usus enim potestatis, qui in causa propria videbatur debilitas, in aliena debitum dilectionis.

20. Sumptuosa est injuria, quæ potenti infertur. Minimam molestiam non refuderis mille obsequiis. Unusquisque enim honorem sibi debitum censet, tamque ambit suspici, quàm horret contemni. Unica injuriola plus confert ad iram, quàm multa blandimenta ad amorem.

*DECAS III.*

21. Ars magna vivendi est nosse pati. Huic fundamento Virtus inædificatur. Nemo magnus evadit, nisi tolerando. Plus æstimo hostem ferre, quàm aggredi.

22. Genus victoriæ præstantissimum est seipsum vincere. Principes aliena manu victores fiunt; vincere seipsum est opus virtutis propriæ.

23. Inferre injuriam etiam vilissimum potest, tolerare non nisi magnanimus.

Nih